

dem scientia, i. Cor. 1. b. 10. Fugite ergo peregrinas omnes doctrinas, & attentos vos  
præbete suauissima voci magni illius Pastoris ouium Christi Iesu, qui vos viam sa-  
lutis per Apostolos & Euangelistas plenissime docet. Despicite magno animo quæ-  
libet figmenta & traditiones hominum, quibus laqueus conscientiis iniicitur, &  
amplectimini libertatem per Christum partam, ac egregie descriptam in hoc Nouo  
Testamento: cuius hic sanam & que ac perspicuam explicationem habetis. Non quod  
tam perfecta sit aut numeris omnib. absoluta huiusmodi interpretatio, ut nihil quod  
ad doctrinam aut adificationem pertineat, omnino addi posse. Nam quis tam felici-  
ter & accuratè vel vnum Scripturæ locum examinare aut interpretari posse, ut ne-  
mo valeat vel ipsum clarius explicare, vel aliquid amplius in eo obseruare, quod ad  
doctrinam aut exhortationem aut aliorum locorum conciliationem faciat? Neq; et-  
iam mihi propositum fuit sacrarum literarum studiosis silentium imponere: quin po-  
tius pios omnes non hortari modo, sed etiam per sacra obtestari velim, ut si quid ha-  
beant vel ex Spiritu revelatione, vel ex commentariis aliorum quos videre non licu-  
it, in commune afferant, modo id breuiter & cum adificatione: quam in retam seria  
& graui cumprimis necessariam esse nemo est qui non fateatur. Nam preterquam  
quod noui libri quotidie nascuntur, eis quibus opus hoc locupletari potuerit, mihi ab-  
unde persuasum est, authores ipsos ex quorum scriptis hanc expositionem desumpsi,  
ita ab omni ambitione ac emulazione alienos esse, ut nihil magis in votis habeat quam  
ut ij quibus datum est prophetie donum, Ecclesiam (in cuius gratiam quod habent  
acceperunt) eo minime fraudent. Illis itaq; duntaxat prodeesse volui, qui simplicem &  
genuinum Scripturæ sensum bona fide querunt, relictæ Ecclesiæ (quam Dominus in-  
dies miris donis cumulat) libertate addendi tempore & loco quod ad communem pio-  
rum adificationem pertinere visum fuerit. Quemadmodum in sacris conuentibus  
fieri solet, ubi piis de rebus diuinis colloquentibus, licet in medium afferre, quod à Deo  
Patre lumen acceperunt: ita ut si alijs fuerit reuelatum aſſidenti, prior libenter ta-  
ceat: sicuti Apostolus, i. Cor. 14. f. 30. præcipit. Nam vero quod ad authores attinet, ex  
quorum commentariis vel annotationibus in Nouum Testamentum hac expositio  
collecta est, ipsorum nomina indicauimus in secunda ab hinc pagina. Ne autem lecto-  
res turbarent tam crebra illorum integrâ nomina repetita, primis tantum literis ea si-  
gnificauimus: tametsi parum necessarium nobis aliquando id videretur, nisi hac una  
amicorum admonitio nos impulisset, futurum ut quidam nos mendacijs arguerent:  
quod quum Catholica Expositio hoc opus inscriberetur, ex varijs interpretibus col-  
lecta, unus tamen contextus appareret: neque eos aliter credituros, nisi literis indica-  
remus singulorum verba. Quod autem inclinarem in eam partem ut authorum no-  
mina non indicarentur literis, hac re adducebar, quod vererer quorūdam ingenium,  
qui hominibus addicti pro hominis autoritate & existimatione apud homines in-  
terpretationem ut plurimum metiuntur, probant, aut reiçunt, considerantes homi-  
nes potius quam quod Spiritus sanctus illis dictauerit ad communem Ecclesiæ suæ in-  
stitutionem. Porro mirabuntur forsitan lectores, quod aliquando pauca admodum  
verba descripserim ex authoribus: verum hoc sciant quum quempiam reperi, qui  
eadem diceret que alijs fere omnes, idque paucis, aut etiam multis, sed dilucidioribus  
verbis, illius verba delegisse, attexendo tamen ex aliis que ille omisisset aut tacuisset,  
neq; enim omnia uniuscurrenn dicenda. Si quando varia aut etiam contraria ex-  
positio apud authores occurrit, ita eam descripsi ut simul indicauerim quid lector se-  
queretur. Neque enim in hoc libro farrago opinionum reperietur, quibus lector turbe-  
tur, non adificetur: verum solida doctrina & vera, atq; eadem in toto hoc opere, qua  
ducat ad Patrem & Filium eius Iesum Christum. Boni itaque & qui consulite (fra-  
tres